Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1953

Quelle:
Copyright:

ſolvendi datur. Incipit illa: *Sacroſancta* &c. *Promeretur deuotorum affectio quam ad vniuerſalem eccleſiam* &c. Data eſt: *Baſilea ſept. id. ſeptembr.* a. 1436. et a me in Actis nullibi reperta. Ad preces igitur praedicti *Petri* Vicarius *Friſing.* Transſumtum hoc addita fide *Friderici Rat de Berching* Not. publ. et coram Teſtibus, ut genuinum promulgat *Friſingae a. 1437. Indict. 15. Pontificatus* (quod mirum) *ſanctis in Chriſto Patris et Domini noſtri d. Eugenij diuina prouidentia Pape quarti Anno ſexto die martis, 26. menſ. Februarij.*

Fol. 13. Sermo *in Pentecoſte* in illud: *Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto. Act.* 2. Initium: *Sanctiſſimum hodierne ſolempnitatis diem Penthecoſtes deuote ſuſcipientes* &c. Ad calcem: *Anno Domini 1421. 25. die Maij, ſ. vrbani.*

Fol. 29. Adlocutiones II. Acad. in Magiſtrorum promotione. Prior incipit: *Certaminibus eius modeſtia ſemper affuit* &c. Altera: *Quantum ad tertium — reſtat noſtros tyrones aliqualiter commendare* &c.

Fol. 37. Quatuor *Huſſitarum* Articuli videlicet: De Communione ſub utraque Specie, de Punitione Peccatorum publicorum, de Cleri civili Dominio, et de libera Praedicatione verbi Dei, ſuis rationibus fulti et propugnati, non eo tamen ordine, neque tam diffuſe, ut in Concilio *Baſil.* a *Joh. Rokiczana*, *Wenc. Taborita*, *Ulrico de Znoyma* et *Petro Payne* expoſiti ſunt. Articulus nobis I. de Cleri Dominio ita orditur: *Quia fideles, vt ſupponitur, chriſtiani inhabitantes Regnum Bohemie conceperunt, qualiter propter peccata ſuperiorum et ſpecialiter ſacerdotum* &c. Catholici cujusdam labor *Huſſitarum* Argumenta *συνοπτικως* ſolum modo referentis eſſe videtur. Id quod confirmat manus alia ſub calcem: *Iſte premiſſe allegaciones ſunt huſſitarum, quibus bereſim et errorem ſuum nituntur colorare, allegantes ſcripturas ad literam, ſed ſenſu eccleſie et ſanctorum doctorum ipſarum ſcripturarum carent, ſicut mos eſt hereticorum.*

Fol. 47. Sermones III. 1) *In die paſce Anno Domini M°* (CCCC) 36. Thema: *Si conſurrexiſtis cum chriſto* &c. *Coloſſ.* 3. 2) *In die annunciacionis beate Marie virginis.* Thema: *Ecce ancilla Domini* &c. *Luc.* 1. 3) *In die paraſceues Anno Domini M° CCCC° XXX ſexto.* Thema: *Videbunt in quem transfixerunt* &c. *Zach.* 12.

Fol. 59. Negotium Indulgentiarum publicatarum in Concilio *Baſil.* et quidem 1) ipſa *Bulla Seſſ.* XXIV. *Vox illa iocunditatis* &c. ut apud *Labb. Concill.* T. XVII. *col.* 340. 2) *Inſtructiones circa exequendas indulgentias in facto grecorum. Primo de executoribus aſſumendis et eorum expedicione in concilio facienda.* Articuli XIX. *Sequitur de modo agendi in partibus per executores pro debita execucione Indulgenciarum.* Exempli cauſſa: *Debet quilibet executorum pro ſuis expenſis et familiarium duntaxat habere pro quolibet die vnum florenum,*